

Arias. Futurus etiam scribere, &c. locuta sunt septem tonitrua, post hæc scribes. Primasius. Signa tibi, & ne scripseris ea. Arabic. Et ne scribas illud.

EXPOSITIO III.

71. **I** clamavit voce magna quemadmodum cum rugit leo. Iste Angelus clamavit tanquam leo cum rugit, in quo denunciantur contra hæreses, ac hæreticos, terrenique homines pugnaturi Patres, & Doctores tanta auctoritate, veritatis ac doctrinae energia, ut eorum voces rugitui leonum omnes feræ fugiant, sic ad voces Patrum omnes belluæ hæreticorum dissipabuntur, & fugient.

72. Sacerdota Academia Orbis.

Et cum clamasset, scilicet Angelus, hoc est, Patres locuta sunt septem tonitrua, id est Oecumenica sacra Concilia Generalia, quæ omnia in doctrina SS. Patrum fundantur: nam Patrum doctrina primùm in Conciliis innotuit, contra Hæreticorum monstra & tunc sapienter digesta efficit in toto orbe plures Academias in quibus gravissimi Doctores omnes hæreticos pessundant; & dicuntur septem, septenarius numerus universitatem dicit, ac proinde hic significatur omnia Concilia, omnesque Academias.

73. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas. Cum nempe locuta fuissent sacra Concilia, ac Academiae voces suas ex Patrum doctrina. Ego audivi vocem, &c. signa que locuta sunt septem tonitrua, & noli scribere. Hoc est decreta, definitiones ac canones, & fulmina anathematum retorquenda in hæreticos. Hæc tunc tacita erant referenda, ut pro suo tempore convocarentur Concilia, in quibus Spiritu Sancto dictante, veritas Catholica erat explicanda hæresesque damnanda. Nam sicut hæc sacra revelatio particulariter non explicat hæreses, nec etiam particulariter definitiones Conciliorum, & dicitur Signa que locuta sunt, &c. & noli ea scribere. Signa, seu ut habet Syriacus. Obsigna; hoc est, ut explicant Gaspar Melo, Ribeira, & alii. Signa seu maneat in mente tua, quoad usque tempus opportunum.

Gaspar Melo Ribeira.

QUÆSTIO VIII.

Quare iste Angelus tam rigidè, ac horrendè clamaverit ad instar rugitus leonis.

74. Ribeira, Cornelius, La Haye.

Ribeira, Cornelius, M. La Haye, dicunt hunc Angelum agere personam Prædicatorum in fine sæculi, & idèd, tam horrendè, ac rigidè infonuisse, & uttens illam vocem de qua infra Quia tempus, n erit amplius, numero 6. rectè Angelus iste pe-

nam Prædicatorum gerens, leoni comparatur. Nam leo, ut dicitur Prov. 30. n. 30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavescit occurrere. Inde merito Prædicator cum leone confertur; quia tanta fortitudine debet esse præditus, ut ad nullius minas pavescat, sed vox ejus ab omnibus timenda est, & quamvis hæc habent suam probabilitatem, alia tamen sunt, quæ hic annunciantur.

75. Vera sententia.

Vera sententia est, quod Angelus hic clamans voce magna quemadmodum dum leo rugit, annuntiat Sanctos Patres, ac magistros Ecclesie multa auctoritate, efficacia, ac energia doctrinae contra hæreticos, eorumque hæreses, ac errores, contraque mundanos, eo utique vitia, qui dabunt voces suas ad instar rugitus leonis, & sic omnes extirpentur ut tanquam bruta animantia ad leonis rugitum non subsistant, sed fugiant; nam iste Angelus habuit pedem dextrum super mare procellosum hæreticorum, & sinistram super mundanam terram vitiorum, quomodo autem hoc fiat, nunc explicat, energia nempe vocis suæ, quæ concutiet hæreses, & comprimet terrena vitia.

76. Christus mansuetus Agnus ex hominum impietate ut leo rugit.

Graves Doctores, ut retuli supra questione 2. tenent hunc Angelum, representare personam Christi Domini quæ sententia ad sensus mortales multum inservit, sed quomodo balatus agni in rugitum leonis vertitur? Quomodo ex mansuetissimo Agno fit leo rugiens? Tandem impietas nostra, in causa est ut lenitas ac mansuetudo ejus, veluti extra spheram suam trahatur ad rigidas penas inferendas. Joachimus Abbas. Adjunctum est, ait, quasi cum leo rugit, indignus animus est) perturbationem prænotat, nec dubium quod propter eos, qui infideles sunt, & usque in finem, & consummationem incrementis perdurant.

Joachim.

Divus Bernardus tomo 1. sermone 30. art. 3. Hunc rugitum leonis refert ad Christi vocem in judicio Potestatem habens, ait, celi, & terra, & infernorum contra animam peccatricem sententiam æternæ damnationis leonino rugitu, & quasi tremendo & terrendo tonitruo promulgabit, dicens: Discedite à me maledicti in ignem. Idèd Isaias 30. num. 27. ait Ardens furor ejus & gravis vis ad purgandum. Illa ergo vox Christi in maledicti, tam horrenda, ac tremenda erit, ut ad illam resonabunt septem tonitrua, locuta sunt septem tonitrua, id est, omnia tormenta inferni in illa voce erunt, & recopilabuntur; sic pergit Sanctus Bernardus. Septem tonitrua, severitatem cruciatuum indicant infernorum. Septenarius enim numerus universitatem denotat, ut sæpè diximus, & idèd in illa voce omnia tormenta recopilabuntur.

78. Deus semper amittit admonitionem antequam perdat in inferat.

Tertio. Hic Angelus à multis auctoribus Dei reputatur, & in manu habet libellum in quo, ut ait Andreas Cæsariensis hominum iniquorum peccata, & nomina contineri videbantur; & quid hujusmodi libellus sceleratorum hominum, cum rugit leonis hujusmodi Angeli. An forsitan rugit ut leo, crudeliter peccatores perditurus? Sane leonis rugitus prænotat est, quæ audita, solent animalia distantia ab hoste terribili sibi cavere, ex qua causa dicitur Deus habere leonis indolem, in eo quod semper admonitionem præmittat ante penam inferendam, ut delinquentes sibi cavent, & student fugere divinam iram. Noster D. Cyrillus Alexandrin. c. 3. Amos cum leone, ait, itaque Deus

se comparat, non prius cum insiliens, & ex ira prædam devorante, nisi minas præferat, ut peccatores ante malorum adventum salventur, quasi pharmaculum salutare futurorum viciis inuascipientes.

79. Amos 3. Deus dat voces ut fugiamus ab ira ventura.

Dicebat Deus per Amos Prophetam 3. n. 4. Nunquid rugies leo in saltu nisi habueris prædam? Nisi quid dabitur catulis leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit. Leones cum propè prædam habent ad dlanandum, ac devorandum, tunc rugiunt, quò rugitu auditò omnia animalia cavent sibi, quid alud, Deus? Ipse in manu habens iniquorum nomina, & acti, tunc non subito perdit, sed magis rugit, & veluti admonitio es præmittit, ut ab ira fugiant, sic rem expendit citatus, D. Cyrillus. Quemadmodum, ait, ferit montanis leonis præmissu clamor non est incommodus planè, quippe ad fugas eos compellens antequam forte capiatur, ita peccantibus ante cladem ad penam comminatio, & prædictio, qua commoti ad penitentiam & in fugam peccatorum se deus longe est utilissima.

D. Cyrillus.

80. Jerem. 44. Deus festinat admo- nere antequam penam intulerit.

Hic de causa dicebat Deus per Jeremiam 44. num. 4. Misi ad vos omnes servos meos. Proptas de nocte surgens, mitemque & dicens: nolite facere verbum abomi rationis. Ecce valde manivavit Deus admonitores præmittere populo suo, antequam induceretur dies ultionis peccatorum. Nescit quidem Deus penam inferre quin admonitionem præmittat, ut eam peccatores effugiant.

81. Ezech. 9. Ante supplicia Deus dat voces ut fugiamus.

Quòd maxime comprobatur, ex illo quod narratur: Ezech. 9. n. 2. Exiit Moyses virgam in manu; & Dominus de die tonitrua, & grandinem & discurrantia fulmina. Maxime notandum quod antequam Dominus mitteret grandinem, ac fulmina, quæ omnes segetes, arbores, ac fructus terræ perderent, ac comburere prius dedit tonitrua; tanquam voces Prophetarum, ac Doctorem, quibus docerent homines, ut respiciant, & fugiant à ventura ira. D. August. 87. de Tempore, Non cum silentio, verberat Dominus, sed dat voces, & d. Eritiam cælitus mittit, per quam possit suam mundus castigatus culpam agnoscere.

D. August.

QUÆSTIO IX.

Quare post vocem Angeli, & non antea septem tonitrua dederunt voces suas.

Ribeira existimat hæc tonitrua esse illa de quibus dicitur c. 8. n. 5. Quod Angelus in thuribulo accepit de igne altaris. Et misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulmina. Cornelius, ait, quod hæc tonitrua articulati, & vocaliter dicebant plagas Orbi imminentes.

Nulla ex his sententiis vera est: non prima quia in hac sacra revelatione, res valde dive facta ostensa est cap 8. ac hæc quæ in præfati manifestatur. Non secunda, nam de plagis hic non est sermo; satis de illis dictum est in e. i. cap. 17. & in præcedentibus tibus ad quod hic iterum repetuntur; & de quibus e. go hic agitur Tom. II

cum tanto apparatu Angeli descendens de cælo valde læta & perijucunda erunt.

Prænantiantur ergo hic felicissima mundo tonitrua, & Ecclesie valde salutifera Oecumenica nempe, & Catholica Concilia, quæ respondent quasi Echo vocibus Patrum. Cæpant namque Patres clamare contra hæreticos, postea congregata sunt contra illos Concilia, quæ tanquam tonitrua sonitum dederunt per totum orbem, & adversus hæreticos fulmina anathematum intorserunt, quæ Concilia confirmata, & stabilita sunt auctoritate Romanorum Pontificum, & dicuntur septem, quia septenarius numerus universitatem significat, sicut & septem Ecclesie, cap. 1. omnes Ecclesias, sic septem tonitrua omnia Concilia, & hoc est valde genuinum, & maxime ad litteram.

84. Prædicantur hic Concilia Oecumenica Catholica.

Et quia sæpè in sacra Apoc. ypsi, sicut & in tota Scriptura, sub una & eadem voce plura prædicantur; idèd secundò diximus, post clamorem Angeli ad instar leonis rugientis intelligi Orbis Catholici Academias, quæ tanquam Echo respondent ad doctrinam Patrum, ac Conciliorum, quibus fortiter adhærent, ad confutandos, ac refutandos omnes hæreticos hujusmodi Academiae, nam post Patres, ac sacra Concilia, nihil est Ecclesie salutarius, maxime tanquam tonitrua insonant in orbe, vocibus, disputantibus, ac scriptis mittunt (aquam) fulmina, ut hæreticos comminuant, & tanquam in nihilum redigant. Explicavimus quæ nobis videntur tonitrua hæc significare. Antiquorum placita referamus, quæ multum inserviunt ad mores.

85. Prædicantur Catholica Academia Orbis.

Primò Cælius, Pannon. Haymo, Alb Magn. & alii, per hæc tonitrua Prædicatores Theologos intelligunt, & rectè dicitur, quod post clamorem Angeli, tonitrua dederunt voces suas, humano more, & articulati. Rupertus cum per hunc Angelum clamantem intelligit Christum Dominum, sic rem explicat; Prophetarum voces, ait, prius sic erant tanquam tonitrua, quia sicut tonitruum, & terribiliter sonat tamen articulatum, sive intelligibile sonum non edit; sic voces legis, & Prophetarum, prius & terribiliter sonabant, & tamen quid illis vocibus significaretur, populares non intelligebant. Sed postquam Angelus iste tali modo clamavit, facta sunt intelligibilia, aperiente, illo sensum Apoc. stolis suis ut intelligerent Scripturas. Ita Rupert.

86. Pannon. Haymo. Alber. Mag. Rupertus. Post Christi Resurrectionem fidei mysteria sunt manifestata.

Secundò, Cælius, Pannonius, & alii inquirunt. Meritò prius clamat Angelus, deinde loquuntur tonitrua, quia verbi divini præcones, quod prædicant, prius à Christo Domino audiunt, & accipiunt. Haymo. Bene clamavit leo prius, inquit, ac postea septem tonitrua sunt locuta, quia videlicet prius prædicavit Christus deinde Apostoli, ceteri Doctores, ad ejus vocem profecti prædicaverunt ubique.

87. Veri Prædicatores, quod à Christo accipiunt prædicant.

Tertio dicitur, quod hujusmodi tonitrua locuta sunt voces suas, nonne sat erat dicere quod protulerunt voces, ad quid additur suæ? quia veri Prædicatores non solum dant voces, sed etiam suas, & quas vera ratio prædicationis prænotat, non semetiplos prædicantes, nec applausum populi querentes, sed salutem animarum omni affectu procurantes. D. Thomas. Voces, ait, id est, quæ conveniunt rationi officii prædicationis, id est, voces salutis, non fabularum, & inanis. Idem similiter habet Haymo.

88. Prædicatores non querunt applausum populi, sed salutem animarum.

Sim Prædicatorum voces in S. Scriptura dicuntur

89.



Rupertus. Psal. 17. Apoc. 4.

D. Basil. D. August. Prædicatores tanquam tonitrua.

90. Psal. 76. Vari Prædicatores vix tangunt terram, & rapiuntur ad caelestia.

D. Hieron.

91.

Genes. 15.

Concionatores forenses solum de eloquentia agunt.

Philo. ]

dicuntur tonitrua; sic intelligit Rupertus illud Psal. 17. n. 14. Intonuit de caelo Dominus, & altissimus dedit vocem suam; & illud Apoc. 4. n. 5. De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua. Et D. Basil. illud Psal. 128. n. 3. Vox Domini super aquas, Deus majestatis innotuit. Et D. Aug. illud Psal. 103. n. Ab increpatione sua fugient, à voce tonitruum in formidabunt. Dicuntur Prædicatores tonitrua Dei, quia debent in medium proferte quod spiritus Dei dicat, & non quod spiritus humanus suggerit.

Pro quo maxime juxta D. Hieronymum expendendum est illud Psal. 76. num. 19. Et enim sagitta tua transeunt, vox tonitruum tui in rota. Vox tonitruum, seu prædicationis dicitur in rota. Rota debet circuire totum orbem, & sicut rota uno tantum puncto tangit terram, & statim revolvitur in cælum, sic & Prædicator taliter sit in terra, ut ipsam uno puncto tangat, & statim feratur in cælum, ut cælum cogitet, cælum quærat, & intendat. Divus Hieronymus. Vox tonitruum in rota, ait, vox grandis est prædicationis in toto orbe. Rota modico quodam vestigio stat in terra, & non solum stat sed quasi percurrit, & revolvitur ad aliora.

Aliter verò aliqui concionatores, qui totam suam operam forensi eloquentiæ dant, qui dum totum suum studium ponunt, in compositis verbis, terrena tantum intendunt, & ecclestem fructum evacuant. De longissima captivitate Israelitarum loquens Dominus Genes. 15. num. 16. ait. Generatione autem quarta revertentur huc, ne dum enim comperta sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Sed cur possessio terræ promissæ non potest simul stare cum habitantibus Amorrhæis, ad quid necesse est, ut prius Amorrhæi expellantur, & tunc fructus terræ promissæ obtinebitur ab Israelitis? Amorrhæi nomine suo significant loquaces. Et quidem non possunt simul fructus possessionis cælestis patriæ, & palæstricæ, ac forensi eloquentiæ vanitas simul stare; evacuat ludicra verborum compositio, & tunc fructus cælestis possessionis capietur Philo Hebræus, Quis rerum divinarum sit hæres, sic ait: Amorrhæi loquentes interpretantur. Ergo donec consumentur Amorrhæorum peccata, hoc est sermones sophistici, qui valent non rationibus persuasibilibus ducere; non possimus eos adversari talibus inascatu illecebris, & manere apud eos cogimur.

QUÆSTIO X.

Quare Joanni mandatur, ut obsegnata, ac occultata teneat, que loquuntur septem tonitrua, ita ut minime ab eo scribantur.

92. Ribeira. Plura revelata sunt Joanni, quam & ea que scripsit.

Dicitur Joanni, signa qua locuta sunt septem tonitrua; id est occultata, ac recondita serva in mente, & noli ea scribere, ac propalare; ex quo bene colligit Ribeira, capite 5. numero 15. Sanctum Joannem h. id plura accepisse, quam quæ scripsit, n. m. quæ ab hoc loco usque ad finem libri sci-

buntur pauca sunt, ipse autem vidit librum copiosum scriptum intus & foris.

Secundò, maxime ponderanda est prompta Joannis obedientia, nam cum ei dictum esset, noli scribere, statim prompto animo obtemperavit, minime mandati causam discutens, & inquirens, exemplum præbens, quod Superiorum mandata minime discutienda sint, i. e. obedientia improbetur. Divus Bernardus tract. de præcepto dispens. cap. 13. Imperfectis cordis, ait, & infima voluntatis prorsus judicium est, statuta seniorum discutere: & barere singula, qui injunguntur.

Quæstio rota inquit, cur Joannes prohibetur scribere voces tonitruum; Cornelius, ait quod septem tonitrua designantur magnas plagas circa finem mundi, & idè non scribuntur, quia homines tales plagas legentes non crederent, vel saltem desperarent; neutra causa vera videtur, & sic ad hominem arguo, ipse existimat credibilia, quæ superiori capite narrantur etiam intellecta secundum litteram, quod idem est de his quæ referuntur superioribus sigillis, præcipue sexto. Ubi totus illabitur contractus orbis, casus montium ignitorum in mare, pluvia facta, grandine, igne & sanguine introducuntur extraordinariæ locustæ, mirabiles equites, & equi; etsi homines ob talia non desperant, nec propter illa desperassent.

Consequenter ad superius dicta dicimus, quod tonitrua sunt Concilia Generalia Catholica, inde jubetur Joannes harum voces obsegnare, & tacere, ut in præsentia explicat Ferrarius, nam quæ tractata erant à sacris Conciliis, scilicet definitiones pro veritate Catholica, fulmina anathematismum jaculata in hæreticos, tacita revelanda fuerunt pro suo tempore, quoad usque sacra Concilia convocarentur, & à Spiritu Sancto directè veritates Catholicas sancirent ac explicarent; nec enim simul voluit Deus omnia revelare in sua Ecclesia, sed paulatim pro temporum necessitate, ut factum vidimus Spiritu Sancto dicente in Summorum Pontificum definitionibus; ad quod est etiam alia ratio, ut jam dixi in expositione. Nam sicut hæc sacra revelatio particulariter non explicat hæreses, sed tantum veluti in genere, ac in communi; ita etiam speciatim non debuerunt exprimi Canones, ac Decreta Summorum Pontificum.

Idem dicimus si per hæc tonitrua intelligas Academiæ Orbis Catholici. Non enim expediens fuit, ut resolutiones, quæ in hac, vel illa academia habentur, exprimerentur in sacra revelatione, sed Deus voluit exerceri hominum ingenia, & ut studio, ac labore aliqua compararentur, ut sic post studium, ac laborem acquisita gratiora, & dulciora essent. Rupertus Abbas. Mystera Scripturarum, ait, quæ tibi data sunt nosse signa, clande, id est, signa, ut sunt, & clausa posteris querenda relinque; prædica illa erunt, quando opus erit ut querantur, scilicet urgentibus diversis verisibus, quas necesse erit esse ut qui probati manifesti fiant, tunc & prædica ingenia exercebuntur, & quæ de Scripturarum thesauris laborioso fuerint studio conquesta, non vilia videbuntur.

Aliqua etiam moraliter dicamus, Joannes magnus mysterium Dei Notarius, quomodo à conscriptione tonitruorum, mysterium Dei notarius

93. Vera obedientia non omnibus manifestanda.

D. Bernard.

94. Cornelius.

Impugnatur.

95.

Ferrarius. Deus paulatim per definitionem Conciliorum illustravit Ecclesiam.

96. Academiæ.

Rupertus. Deus vult nos studio exerceri.

97.

Matth. 7. Dei mysteria non omnibus manifestanda.

Daniel. 11.

Richard.

98. Aliquando occultanda Dei mysteria ut de linguentibus detur major ansa peccati.

Aretas.

Psal. 101.

96. Nec etiam omnibus Catholicis eodem modo mysteria sunt aperienda. Ansbertus.

notarius, quomodo à conscriptione tonitruorum mysteriorum prohibetur, mysteria namque sacra, nec passim vulganda, nec in universum claudenda, evulganda non sunt indignis, de quibus Dominus dicit Matth. 7. n. 6. Nolite dare sanctum canibus, nec margaritas vestras projicite ante porcos, ne conculant eas pedibus. Nec in universum dignis claudenda, etiam si secundum tempus aliquando claudantur: hinc Daniel. 12. n. 4. Tu autem Daniel clande sermones, & signa librum, usque ad tempus statutum. Quod dixerit dicit Richard. Victor. Præceptum vox Divina, ait, signari prohibet scribere voces septem tonitruorum, quia sic debemus electis propalare, ut reprobis abscondamus dicta & scripta sanctorum.

Secundò, voces quas dederunt tonitrua, obsegnandæ, ac occultandæ mandantur, ut nullo modo evulgentur: Voces illæ pertinent juxta multos Auctores ad postrema tempora, ecce cur obsegnandæ mandantur: Agebatur in illis de suppliciis, quibus puniendi erant impii in futuro sæculo; quæ quidem circa condignum infligentur, & idè occultari jubentur, quæ audierat, ne aliquando manifestata infinita Dei misericordia erga tam magnos peccatores, major delinquendi ansa a quibus iniquis tribueretur. Aret. Episc. Quæd prope ea recondi conjectura aspicere licet, esse vehementiam constitutorum suppliciorum, quia misericors Deus sua benignitate retributionem supplicii, non inducat aequali pondere cum peccatis; unde ait etiam Psalmographus, Psal. 101. n. 10. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Tertio Joannes Apocalypsim scribebat Ecclesiis, ac fidelibus; cur ergo mysteria, quæ tonitrua suis vocibus resonant sint obsegnanda, & occultanda; nam talia mysteria fuerunt manifestata Joanni, cur etiam & aliis fidelibus non aperiantur, nec enim omnibus etiam fidelibus omnia Dei mysteria sunt proponenda, sed unicuique secundum talentum sibi à Deo datam. Ambros. Ansbert. sic ait in præsentia: Jubemur eloquiorum Dei sacramenta non omnibus indifferetè propalare, sed ad mensuram, & quasi sub sigillo; prout idoneos ad capiendum viderimus, ea subministrare, & aliis potius lactis dare, aliis verò soli in cibum administrare, hanc discretionis regulam Dominus quoque in Evangelio servandam docuit, cum jam passioni proximus dixit discipulis, Joan. 16. num. 12. multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Ac si diceret; idè vobis thesauros altioris scientiæ resolutò sigillo non ostendo, quia ad eos capiendos nequaquam vos idoneos cerno.

Cæcus quidam plebeius, ac mendicans in via clamabat ad Jesum: Jesu fili David miserere mei. Luc. 19. n. 39. Et cum Dominus audit se à cæco Davidis filium vocari, nullum de hac re verbum dicit, nec tunc ullam excitat questionem. At verò postea: Congregatis Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dixerunt ei David. At illis. Quomodo ergo David in spiritu, vocat eum Dominum si ens: dixit Dominus Domino meo, Matth. 22. n. 42. & 43. Ecce modo cum se audie vocari Davidis filium, sapientissimam, & acutissimam questionem excitat circa verba Scripturæ, quod si ipse est filius David, quomodo

David in spiritu ipsum vocat Dominum suum, ac patrem suum. Et tamen vocatus à cæco Davidis filius, nec verbum facit, nec ullam questionem proponit: Pharisæi ac Scribæ, ut Doctores legis maxime in ea versati, ac periti; cæcus verò homo plebeius, ignarus litterarum, inde quæ altioris erant sapientiæ. Jesus præterit coram plebeio cæco; at verò habens congressum cum sapientioribus, statim subtiliora in Scripturis proponit, & in medium profert. Tertullian. lib. 4. contra Marc. Qui olim, ait, à cæco vocatus fuerat filius David quod tunc reticuit, non habens in præsentia scribas: nunc ultra coram eis, de industria proluit.

Disputat Jesus cum Judæis apud Gazophylacium, & cum Judæi ab eo quæsisent, quodnam testimonium habebat de se ipso, ait: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater; dixerunt ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit. Neque me scitis, neque Patrem meum. Joan. 8. 18. & 19. Solum inscientiam, ac ignorantiam, quam de Patre habebant objicit, & nihil de ejus natura, ac consubstantialitate disserit, ut vidimus factum cum ambulasset. Ipse Dominus in porticu Salomonis docebat tunc Judæos, dicens: Ego & Pater unum sumus. Joan. 10. n. 30. Cur modo tam sublimem, & altam doctrinam à sæculis absconditam scilicet filii & Patris consubstantialitatem revelat; & tamen in primo loco quæsitus de Patre, nil tale dixit; Modo erat Jesus in porticu Salomonis, ubi erat conventus, & locus sapientum, & quæ sapientibus dicuntur, plebeis, ac vulgaribus hominibus non aperiantur, ut vidimus factum cum Judæis apud Gazophylacium D. Ambr. epist. 76. Plerumque secundum qualitatem locorum, in quibus docebat famulos suos, disputationes suas formare dignatus est, ut in porticu Salomonis, hoc est sapientis, deambulans loquebatur. Ego & Pater unum sumus.

Apoc. 10. n. 5. Et Angelus, quem vidit stantem super mare & super terram, levavit manum suam ad cælum.

Num. 6. Et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cælum, & ea quæ in eo sunt, & terram, & ea quæ in ea sunt, & mare, & ea, quæ in eo sunt, quia tempus non erit amplius.

V E R S I O N E S.

Syrus n. 5. Et exaltavit manum suam dexteram in cælum.

Arabicus. Sustulit dexteram ad cælum.

Sy. Et juravit per eum, qui vivit in sæcula sæculorum, &c. quod tempus amplius futurum non esset.